



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Orthographiae || Ratio

Manuzio, Aldo

Venetiis, 1566

[Text]

urn:nbn:de:hbz:466:1-13350

V E T E R E S Numerorum notas uaria-
runt , primum quinto loco ; deinde
decimo , mox quinquagesimo , tum
centesimo , eodem in reliquis ordine
conseruato , mutato numeri signo , quoties
numerus a quinario ad duplum , & a duplo rur-
sus ad quinarium peruenisset

Prima nota fuit i , unus , usque ad quattuor ite-
rata

Secunda nota , v , quinque , in quinario primum
numero uariata

Tertia , x , decem , in duplo quinario , ut iam di-
xi , mutationem recipiens

Quarta , l , quinquaginta , aucto post tertiam
notam , idest post x , in quincuplum numero

Quinta , c , centum , duplicato quinquagenario

Sexta , iο , quingenta , & hic quincupli ratione
seruata

Sepiima , cιο , mille , habita dupli ratione

Octaua mutatio fuit , cum ad quinque millia per-
uenissent . nam ne toties iterarent , cιο ; his
notis usi sunt , iοο , quinque millia .

Nona mutatio , a quincuplo in duplum , recepit
has notas , ccιοο , decem millia

Decima , a duplo in quincuplum , iοο , quin-
quaginta millia

Vndecima , & ultima , a quincuplo in duplum
cccιοο , centum millia

Nec ultra notarum mutatio progressa est. Ita
sunt omnino undecim uariae , deinceps a no-
bis demonstratae , tamen iterandae

I, unus
V, quinque
X, decem
L, quinquaginta
C, centum
I^o, quingenta
C^o, mille
C^oC^o, quinque millia
C^oC^oI^o, decem millia
C^oC^oC^o, quinquaginta millia
C^oC^oC^oI^o, centam millia

Quam cognitionem legentibus non iniucun-
dam fore , sum arbitratus

Hoc etiam adiungam , a prima nota , I , ceteras o-
mnes fluxisse . nam , V , duae primae notae sunt
infima parte coniunctae

Item , X , est quinarii numeri nota duplicata ; cum
duae , V , in acuto angulo coniungantur . At
L , quid est , nisi prima illa nota , I , recta , & al-
tera prostrata , simul iunctae ? quo si addide-
ris in summa parte aliam primam notam , item
prostratam fiet centum . non enim priscis tem-
poribus , pro Centum , scribebant , C , quod
ad aetatem nostram permansit : sed , [, quae e-
rant tres primae notae consociatae , una recta
duae prostratae , cum recta coniunctae , una
in

in superiore parte , altera in inferiore . Quin-
genta uero fecerunt , addita ad tres notas
quas proxime nominaui , quarta recta , cum
duabus prostratis coniuncta , hoc modo []
qua figura duplicata , fecerunt Mille , hoc
modo []. unde postea , librariorum arbitrio
uariae notae , quae Mille , significarent , factae
sunt : quarum nonnullas ostendemus . nam ex
[] fieri coeptum est , & o , & C I O , & C I Y
unde M deriuatum , quo pro Mille hodie quo
que utimur : cum olim nota fuerit , non littera

